



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Quæst. 8. Vtrum aliquod ens creatum absque omni præsentia locali, atque
adeò nullibi possit existere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](#)

- se unta, aut aliter coniuncta phisice, per praesentiam cuiusvis eorum non possunt reliqua reddi praesentia eidem spatio. Necesse est igitur, ut singula proprias praesentias habeant.
- 172 Tertio. Quodlibet ex predictis entibus esentialiter sibi postulat aliquid esse, atque adeo per propriam praesentiam iuxta doctrinam tradendam quatuor. Quo circa negari non potest, talem praesentiam esse illi possibilis, ut quandam eius perfectionem connaturalis, atque proportionatam. Ergo, cum nihil sit, quod impedit, ipsi erit connaturaliter debita; proindeque connaturaliter illam de facto habebit.
- 173 Excepti in propositione praesentias, & eorum modos; quia praesentia se ipsis, & non per alias praesentias, sunt praesentes spatio locali, cui correspondent; quia per suam essentiam habent, quod subiectus accidentaliter praestant, ut diximus alibi. Modicetiam praesentiarum, ut actiones, quibus sunt, durationes, quibus durant, &c. si quos alios habent, non sunt praesentes per alias praesentias; quia harum darentur alii modi, & abierint in infinitum. Sed vel per se ipsis quasi per se immediata affixa suapte essentia eisdem spatiis, vel per presentias, quarum sunt modi, utpote cum quibus intime, & immediatè vniuntur, earumque subinde effectum formalem quodammodo participant.
- 174 Ex dictis infertur primo, in compositis substancialibus corporeis materiam primam propriam habere praesentiam distinctam à praesentia forma. Sicut & forma propriam habet distinctionem à praesentia materiae. Imo unioni triusque propria, & distincta ab aliis praesentia competit. Tantundemque de subsistentia ambatum dicendum est.
- 175 Secundo infertur, in eiusdem compositis omnia, & singula accidentia, praeter exceptas, singulas praesentias proprias habere, ut quantitates, qualitates, potentias, habitus, actiones, aut passiones, &c.
- 176 Tertio infertur, singulas partes integrantes huiusmodi substantiarum, & accidentium, singulas quoque partiales praesentias habere. Quia pro istis omnibus militant eadem rationes.
- 177 Quartu denique infertur, in substancialibus spiritualibus pariter esse philosophandum; atque adeo dicendum, singula cuiusvis Angeli, aut anima rationalis accidentia, (prater praesentias, & earum modos), ut species intentionales, habitus, actus intellectus, & voluntatis, &c. si quae sunt alia, singulas quoque proprias praesentias locales habere.
- 178 Sed obiectet aliquis. Quamuis unum ens non possit reddi praesens localiter per praesentiam alterius iuxta dicta; possibile tamen est, ut plura entia per unicam praesentiam localem, quae omnium indiuim sit propria, praesentia hant, maximè, quando illa inter se sunt intimè unita, ut sunt substantia quavis completa, eius accidentia, partes essentiales, & modi. Superflue igitur pro istis omnibus totidem, praesentias locales de facto adstruantur; tametsi sint illæ possibiles: siquidem per unam illam, etiam possibilem, quidquid omnes istæ praestant, praestari potest; frustraque praestantur per plura, quæ possunt per pauciora. Respondeo, est ea praesentia, quæ indiuim sit praesentia multorum, entium, metaphysicè sit possibilis, connaturaliter tamen non est possibilis. Sicut non est connaturaliter possibilis praesentia, quæ indiuim faciat praesentes omnes partes corporis integrantes; tametsi ea circa dubium possibilis metaphysicè sit, Ratio omnium est: quia unumquodque ens, ut haber essentiam propriam distinctam ab essentiis aliorum, ita iure quodam naturali vindicat sibi proprias passiones, quoties eas habet possibilis independenter ab alijs entibus, ut iure quodam proprietatis suam secum supellecilem habeat, quæ non sit communis alijs entibus. Quare, eti si possibilis simpliciter passio pluribus entibus communis; si tamen ad iacet munus praestandum sunt alia etiam possibiles singulis propriis; istæ, non illa, connaturaliter debentur; proindeque illa naturaliter non censeretur possibilis.
- Hic quarene aliqui, quænam praesentia ab alijs differant specie. Eamdemque quæfionem in plurimis materijs repetunt, eodemque iure possent, imo & deberent, in omnibus, ut procederent consequenter: cum tamen ea reducta ad terminos generales unica quæstio sit ad Logicam spectans. Videantur à nobis scripta in Pharo Scient, disput, 17, quæst. 8. 12. & 14. Vbi regulas generales dedimus ad diognoscendum, quinam conceptus obiectui, seu termini, & qua ratione specie dicendi dicunt, quinam vero secus. Per quas regulas singulis applicatas materijs facile sciemus, quinam earum termini differant inter se specie, & quinam non item; vitato interim molesto labore, scribendi, ac torties repetendi quæstionem prædicam. Quam nos propterea tam hic, quam alibi omittendam censemus.

QVÆSTIO VIII.

Verum aliquod ens creatum absque omni praesentia locali, atque adeo nullibi possit existere.

Certum est primo, Deum ab omni praesentia locali non posse absoluiri. Quia per suam immenstatem esentialiter est ubique iuxta dicenda disput. 6.

Certum est secundo, nullum ens corporeum posse naturaliter esse absque omni praesentia locali, atque adeo ex necessitate naturæ aliquid esse debere. Quia praesentia localis, sive ubicatio ut minimum est naturalis passio entis corporei naturaliter illi debita; proindeque naturaliter ab eo dimanans.

Certum est tertio, entia spatio locali affixa, ut praesentiae, & earum modi, nullatenus posse absoluiri à locis, quibus esvaliter sunt affixa. Vnde de ceteris solum entibus procedit quæstio.

Duae ergo supersunt difficultates. Prima, utrum ens spirituale, ut Angelus, possit naturaliter ab omni praesentia absoluiri, & nullibi existere. Secunda, an sit possibile, saltem de potentia Dei absoluta, ut aliquod ens seu spirituale, seu corporeum absque omni praesentia locali, atque adeo nullibi existat.

Circa

Disp. V. De loco, & vocatione. Quæst. VIII. 135

184 Circa priorem difficultatem Vazq. Bubal. & Alarc. citati quæst. 7. n. 155. censem, Angelum naturaliter, imo pro suo arbitratu posse ab omni presentia locali absolui; atque adeo nullibi esse. Pro qua etiam sententiæ videntur stare, quotquot docent, Angelum per aliquid genus applicatio-
nis sua virtutis ad corpus fieri localiter præsen-
tem. Tum, qui opinantur, per suam substantiam, addito actu voluntatis, præsentem fieri. Qui etiam ibi num. 153. & 154. citati sunt. Oppositam tamen sententiæ tenet Soar. lib. 4. de Angel. cap. 3. Quam etiam tenet haud dubiè quotquot cum ipso Soar.
fientiunt de Angelorum presentia citari num. 156.

185 Circa posteriorem difficultatem satis com-
munis videtur esse sententia afferentium, non so-
lum ens spirituale, sed etiam corporeum posse
supernaturaliter ab omni præsentia locali, &
nullibi esse. Eam præter Vazq. Bubal. Alarc. &
alios num. præced. pro prima sententiæ relatos
tenent Moncaus. disput. 1. cap. 2. & 8. Mæratius
1. par. disp. 19. sect. 1. Oviedo Contr. 15. Phyl.
pun. 7. Lynce lib. 6. Physic. tract. 2. cap. 5. Franc.
Alf. disput. 22. Phyl. sect. 7. & alij Recentiores.
Oppositam tamen tenet Soar. supra Arrubal. 1.
par. disput. 123. cap. 1. Molina quæst. 52. art. 1.
disput. vnic. mem. 4. Coninc. 3. par. quæst. 75.
art. 4. disput. 1. Per. Hurt. disput. 12. de Anim.
sect. 3. Arriag. disput. 14. Phyl. sect. 4. Vbi dicit
esse communem, Carleton. disput. 33. Phys. sect.
5. Spinula disp. 10. Phyl. sect. vlt. & alij.

Propositio I.

186 Impossibile omnino est, ut aliquid ens
creatum seu spirituale, seu corporeum abs-
que omni præsentia locali, atque adeo nullibi
existat. Vnde nec de potentia Dei abso-
lutâ potest id fieri.

Probatur primò ab auctoritate Patrum, at-
que Philosophorum Nazianz. enim orat. 34.
qua est 2. de Theol. ait Si id. quod non est, nus-
quam est, id quoque, quod nusquam est, nec quid-
quam fortasse est. Hilar. cap. 5. in Math. ante me-
diū. Omne, quod creatum est, alicubi est. August.
epist. 5. ad Dardanum. Tolle spatia à corporibus,
& nusquam erunt. Quod si nusquam erunt, neque
erunt. Et lib. de immortal. anima cap. 1. Quid-
quid est, nusquam esse non potest. Arit. autem lib.
4. Phys. text. 1. testans de communi ait. Qua-
sunt, omnes existimant, alicubi esse; quod vero non
est, nusquam esse. Et Cic. 1. Tuscul. Vbi sunt, inquit,
y, quos miseros dicit, aut quem incolunt locum? Si
enim sunt, nusquam esse non possunt. Qui quidem
planè de notant verbis relatis, se sentire, nullatenus
posse quidpiam existere, quin alicubi existat.

Secundò probatur. Quia impossibile est,
existere aliquid extra totum ambitum circumqua-
que infinitum spatij localis, quod imaginarium
appellant: non enim datur extra, hoc ipso, quod
illud est circumquaque infinitum; cum extra mani-
festè connotet terminos eius, extra quod ali-
quid esse dicitur. Ergo, quidquid existit, intra
tale spatium necessariò debet existere. Quod
ipsum est existere alicubi cum aliqua præsentia
locali. Dices, posse aliquid existere, quin existat
aut extra, aut intra totum spatium locale, & tamen
existat: hoc enim ipsum esse existere nullibi. Sed
certè hoc ipsum valde imperceptibile est: quia
existere, & non intra spatium locale, id ipsum
est ex conceptu suo, existere extra; cùmque

aliunde repugner, existere extra; quandoquidem
non datur extra; planè repugnat existere, & non
intra spatium locale. Quod propreà capacitas
quædam est proculdubio omium omnino possibi-
lum, intra quam necessariò cadere debet, quid-
quid ex statu possibilitatis ad statum existentiae
reducitur.

Id quod tertio probatur à paritate spatij 188
temporalis, seu temporis, quod dicunt imaginari-
um. Impossibile quippe est, existere aliquid, &
non existere in aliquo tempore, aut præsenti,
aut præterito, aut futuro. Siquidem de omni
ente translato ab statu possibilitatis ad statum
existentiae verum circa omne dubium est, dicere,
quod vel existit, vel existit, vel existit. Ergo
impossibile est existere aliquid, & non existere
in aliquo loco. Negant Adversarij communiter
consequentiam, concedo antecedente: quia
inquit, existere in aliquo tempore, sive in eo
durare, nihil importat distinctum à re, quæ exi-
stit, & à tempore. Vnde hoc ipso, quod res
existat, non potest non existere in aliquo tempo-
re: quia non potest omne tempus desse. At
existere in aliquo loco, præter rem existentem,
& locum, importat præsentiam superadditam,
qua potest deficere, quin ob id aut res, aut locus
desinat esse. Sed contra primò. Quia etiam
existere rem creatam in aliquo tempore, præter
rem ipsam existentem, & ipsum tempus, impor-
tat durationem superadditam, ut infra disp.
8. quæst. 1. ostendam. Quo corruit penitus Adver-
sarij responsio. Contra secundò. Quia
præscindendo modò à questione de præsentis, &
durationibus superadditis, paritas in argumento
proposita stat in hoc, vt quemadmodum est im-
possibile, existere aliquid, & non intra ambitum to-
tius spatij temporalis, seu temporis imaginarij; ita
est impossibile existere aliquid, & non intra ambi-
tum totius spatij localis, seu loci imaginarij. Vel, si
potest quidpiam existere in nullo loco, cur non po-
test pariter existere in nullo tempore? Certe horum
disparitas adhuc desideratur in responsive Adver-
sarij. Quare nos censemus, nullam idoneam
dari posse; atque adeo putamus, tam essentiale esse
cuilibet enti existere in aliquo loco, quam existere
in aliquo tempore ex hypothesi, quod existat.

Quarto probo propositionem argumento 189
theologicō. Impossibile est, existere aliquid ens
creatum, cui Deus non sit intimè præsens per
suam substantiam ratione lucis immensitatis; &
quod subinde non sit vicissim intimè præsens Deo.
Ergo impossibile est, existere aliquid ens creatum,
quod alicubi non sit præsens localiter. Ante-
dens haud dubiè est certum secundum fidem, vt
ex dicendis disput. 6. constabit. Consequentia
probatur. Quia Deus ratione sua immensitatis,
supposito spatio locali circumquaque infinito,
ita est suæ essentia toti illi, & omnibus eius
partibus intimè præsens, vt nequeat intelligi exi-
stens nisi vel in toto ipso spacio, vel in aliqua
parte eiusquemadmodum præsentia creata suæ
essentia correspondens spatio A aliter, quam in
ipso spatio A, existens non potest intelligi. Igi-
tur, sicut præsentia creata correspondens spatio A
neutiquam potest alteri enti esse intimè præsens,
quin tale ens sit etiam existens in eodem spatio A,
vt est notum; ita Deus omnibus spatijs, seu parti-
bus spatijs infiniti correspondens ratione sua im-
mensitatis neutiquam potest alteri enti esse intimè
præsens, quin tale ens sit etiam existens in aliquo
dictorum spatiiorum; in aliqua ve parte dicti spa-
tij.

tij infiniti; atque adeo, quin sit alicubi praesens localiter. Quod erat probandum.

190 Confirmatur, & declaratur. Quia Deus non existit extra totum infinitum ambitum spati localis, cum non detur extra, ut dictum est; replet tamen sua infinita praesentia totum ipsum. spatum prout explicabimus infra disput. 6. Ergo impossibile est, ut Deus a tali praesentia habeat esse intimè praesens omni enti creato, prout est necessarium iuxta fidem; nisi tale ens intrale spatum existat, ut satis ex se patet. At hoc ipsum est, esse illud intra tale spatum alicubi praesens localiter, ut patet etiam. Ergo.

191 Nec dici potest, Deum, & creaturam mutuam coexistentiam, mutuamque intimam praesentiam habere posse; quia ea sit aut intra, aut extra spatum locale. Hoc enim imprimit repugnat ex parte creature. Cui impossibile est existens, & neque intra, neque extra spatum locale existeret iuxta dicta num. 187. Deinde clarissimus repugnat ex parte Dei. Qui, cum ratione sua impenetrabilis indivisibilis intrinsecè in toto iam spatio locali, & in omnibus partibus eius per sui totius localem replicationem necessariò sit praesens; ut alibi, praeterquam in illis, reddeatur praesens creature, noua capacitas localis pro noua sui locali replicatione in illa deberet esse. Atque ita, prater omnes, & ultra omnes omnino partes spati localis, aliqua insuper daretur pars spati localis. Quod implicat contradi-
ctionem in terminis,

192 Ex ijs probo quintò propositionem. Omne ens creatum titulo talis non minus indiget essentialiter praesentia Dei ad existendum, quam influxus, ut latius explicabitur infra di-
sput. 6. Sed nequit talem praesentiam participare nisi existat intra ambitum spati localis; ubi solùm Deus sit praesens, non extra, aut alibi; quia non datur extra, neque alibi, ut dictum est. Ergo. At intra talem ambitum existere, id ipsum est existere alicubi praesens localiter. Ergo omne ens creatum essentialiter postulat existere alicubi praesens localiter ex hypothesi, quod ex-
istat. Repugnat ergo omnino, illud absque omni praesentia nullibi existere.

193 Et confirmari clarissimus potest. Quia Deus nullatenus potest creaturam producere, nisi sibi praesentem in aliquo spati locali, sicut & in aliquo temporali, ut apparebit ex dicendis infra quæst. 13. Quod ipsum est, tam necessarium esse omni creature aliquam praesentiam localem, quam ipsi ei necessaria producio, qua accipiat existen-
tiā a Deo.

His sufficenter manet reiectus Ouidio, quan-
tenus putat, bene componi posse, quod crea-
tura nullibi sit, & tamen sit intimè praesens Deo. Lynce vero hoc repurans impossibile, consequen-
ter concedit possibile, quod creature in nullo
loco, aut etiam in nullo tempore existens non-
sit intimè praesens Deo, ipsiusve intrinseca im-
penetrabilitate, aut aternitatem. Hoc tamen non
satis videtur turum. Cum sit de fide, creaturis
omnibus saltem de facto intimè praesentem Deum
esse ratione sua intrinseca impenetrabilis, aut
etiam aternitatis. Nec maior ratio pro facto,
quam pro possibili videatur esse, ut videbimus
disput. 6.

194 Sed obisciunt Aduersarij primò. Ens in-
differens, ut existat in varijs locis, qualia sunt
pleraque, cum nullà suarum praesentiarum est

essentialiter connexum; siquidem nulla est, qua-
non possit carere. Igitur saltem divinitus potest
carere omni, & nullibi esse. Distinguo antee-
dens. Cum nullà suarum praesentiarum determi-
nata est essentialiter connexum; concedo: cum
nullà vagè; nego. Et nego consequentiam.
Itaque omne ens creatum eum aliquà praesen-
tiā locali sui vagè, sive sub disunctione
est essentialiter conexum. Sicut & cum
aliqua sui productione, hac, vel illà, vel
alià, &c.

195 Secundò obisciunt. Ens creatum prius na-
turā existit, quam sua praesentia localis. Er-
go nequit indigere illà essentialiter ad existen-
dum, atque adeo neque essentialiter connecti-
cum illà. Nego consequentiam. Quia nihil ve-
tit, aliquid prius naturā alio, immo & prius tem-
pore, connecti cum eo essentialiter, ut patet in
omni causa prædeterminata ad effectum, in actio-
ne naturā antecedente suum terminum, in
scientia Dei, & actu fidei de Antichristo fu-
turo. Hac enim, & alia huiusmodi essentialiter
sunt connecta cum aliquo se postulare aut na-
turā, aut tempore. In eo autem signo priori-
tatis nature præcisius concipitur ens iam exi-
stens nondum praesens localiter. Negatiū autem
non praesens concipi sine contradictione non
potest. Quia id ei prorsus repugnat.

Propositio 2.

Neque Angelus, neque aliud quod-
piam ens spirituale, nedum corporeum, 196
potest aut naturaliter, aut quoquis modo pro-
nutu suo ab omni praesentia locali absoluī,
sicque nullibi esse.

Hac propositio constat ex precedente.
Quia, quod simpliciter, atque adeo etiam su-
pernaturaliter, est impossibile, ut ibi monstrauim-
us, non potest non naturaliter esse impossibile,
atque sub nullum arbitrium cadens, ut cunctis
notissimum est.

QVÆSTIO IX.

Quibus in locis, sive spatiis localibus
sunt negationes entium.

Et qualiter.

197 Suppono primò ex doctrina stabilità in Pharo
Scient-disput. 9. quæst. 3. negationem entis re-
uerà nihil penitus esse habens essentialiam aliquam
in se cognoscibilem positivè ab ijs, qui per spe-
cies proprias cognoscunt; sed in mero non esse
entis consistere, eiusque proinde veritatem obie-
ctivam negatiū tantum cognoscibilem esse à co-
gnoscientibus per species proprias, per cogni-
tionem scilicet recessum ab ente negato; seu re-
motinam eius. Tametsi à nobis cognoscientibus
per species alienas tum negatiū modo dicto sit
cognoscibilis negatio, tum etiam positivè, qua-
tenus per speciem entis, atque adeo ad instar entis
habentis aliquam essentialiam conceptibilis est. De
qua proinde saxe formamus propositionem affir-
mativam; sed quæ æquivalet negatiū entis, cuius
negatio est; prout pluribus loco citato exposui-
mus,